

Quarto quia Salvator noster ^{a)} Io. 18 dicit ^{b)} Pilato: regnum meum non est de hoc mundo et ^{c)} idem: regnum meum non est hinc ^{c)} ²³⁾, unde habetur, quod Christi principatus non fuit regimen temporalium rerum; set princeps spiritualium in ecclesia militante non habet auctoritatem, nisi quantum est ^{d)} vicarius Christi, et vicarius non potest se extendere ultra fines sui principis; ergo princeps spiritualium in temporalibus nullam habet iurisdictionem.

Ad primum respondetur ^{e)}, quod Constantinus non subiecit se ipsum de iure, quia iam prefuerat subiectus, set tantum de facto recognovit se esse subiectum, quando per fidem intellexit habitudinem ordinis temporalium ad spiritualia, sicut etiam subiecit se ipsum Deo, cuius dominium prius non recognoverat, quamvis ipsum de iure habuisset. Ad secundum, quod ecclesia accepit bona temporalia quoad dominium proprium, non quoad ^{f)} universale ²⁴⁾, quod semper prehabuerat, sicut principes superiores quandoque ^{g)} accipiunt proprietates principum ^{h)} inferiorum, sicut cum comitatus ad regna devolvuntur. Ad tertium, quod sicut dicit apostolus Paulus 2. ad Corinthios 15: prius fuit quod animale est et postea quod est spirituale ²⁵⁾, et tamen animalitas subicitur spiritualitati; et ideo in proposito licet principatus temporalium precesserit, tamen postea subiectus fuit, sicut omnia ⁱ⁾ bruta hominem ^{k)} precesserunt in creatione mundi et postea homine creato sibi subiecta fuerunt nec per hoc fuerunt deteriora ymmo fuerunt nobiliora in attingendo ^{l)} proprium finem, et isto modo fuit nobilitatus principatus temporalium, quando fuit principatui spiritualium subordinatus. Ad quartum quod ^{m)} Salvator dixit regnum meum non est de hoc mundo ^{m)}, dico quod de regno suo principali intellexit, quod est regnum celorum, non de minus principali, secundum quod dicitur in Apoc. 17: rex regum et dominus dominantium ²⁶⁾ et alibi dicitur rex celi et

^{a)} fehlt P 2. ^{b)} dixit P 2. ^{c)} et — hinc fehlt P 1. ^{d)} fehlt P 1.

^{e)} fehlt P 2. ^{f)} quantum ad P 2. ^{g)} quando P 1. ^{h)} principatuum P 2.

ⁱ⁾ animalia P 2. ^{k)} dahinter et P 2. ^{l)} attingento P 2.

^{m)} fehlt P 1.

²³⁾ Joh. 18, 36.

²⁴⁾ Vgl. die entsprechende Stelle in der Quaestio de subiectione bei Lapparent S. 87: licet omnia essent ecclesie universali dominio, tamen quoad proprietatem potuerunt dari multa.

²⁵⁾ Vielmehr 1. Kor. 15, 46.

²⁶⁾ Apoc. 19, 16; Apoc. 17, 14 heißt es: dominus dominorum est et rex regum.